



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXXIII. Sigfridvs Elector XVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## XXXIII. SIGFRIDVS ELECTOR XVII.

**S**igfridus III. Sigfridi II. ex fratre nepos difficillima tulit tempora, Friderico II. Imperatore Ecclesiam simul & Imperium turmīs & turbīs implente. Electoratus sui initio adeò celebrem instituit Moguntiaē Synodum, ut eandem multi *Synodum Germanicam* per Antonomasiā appellārint. Multa in eadem sunt acta, & arbitris multis transacta in emolumentum Ecclesiae simul & Reipublicae Politicae. Erat nimirum Sigfridus Imperatoris Friderici primò in bellis socius, sed eodem Imperatore Romano Pontifici obedientiam negante, & transversum omnia demum agente adversarius, promulgavit anathematis sententiam per Germaniam, multorum ab hoc odiis expositus, & Germanorum simulque Itolorum tumultibus implicitus, quibus tamen omnibus insuper habitis, Henricum Thuringiae Ducem unà cum Electoribus reliquis elegit Caesarem. Aequalem dein honorem exhibuerunt Wilhelmo Hollandiae Duci, Henrico mortuo subrogantes Successorem. D. Elisabetham Thuringiae Principem honori publico amplius commendaturus, ejusdem reliquias altiore aedis sacrae in locum Marpurgi extulit, miraculis non paucis Dei annutum attestantibus, quibus permotus Gregorius IX. Rom. Pont. eandem Beatorum numero adscripsit. Annis 24. Ecclesiae & Imperio prodesse, & Elector & Archiepiscopus studuit, multis factis, multis votis & lacrymis multis; quare honorificis statuis post mortem est honoratus & exornatus, quae solent esse inter Romanos & Germanos vitae & mortis ritè peractae viva testimonia. Privilegium à Bohemiae Regibus impetrasse scribitur, quo inter Bohemos coronae regiae impositio non nisi Moguntinis Archiepiscopis fuit asserta in annos perpetuos, cui tamen privilegio sua sponte nuntium remisisse Successores vel verè creduntur, vel finguntur. Sedit annis 24. vitâ functus 1249. Romae imperarunt Gregorius IX. Caelestinus IV. Innocentius IV.

XXXIV.